

pietate ac religione: uel pulsi domo factionibus: uel longis uexationibus fatigati receptum haberent: Quo cum uxoribus liberisque confugerent. Atque post longa tandem naufragia sibi sanctorumque reliquiis peterent salutis portum. Essentque tandem eius loci futurae opes omni humana opinione maiores. Ceterum magni temporis opus & immensi fuit laboris: Riualtus autem dicta ne sit ex canali ceteris altiori: an quia sit aliis insulis ut est aliqua in parte: praesertim ad tabernas gemarias: eminentior: incertum. Expeditis igitur quae polliciti sumus iam ad eius prima quasi semina ueniamus: a quibus maiores duxerunt urbis initium.

Riualtus
ITA erat Riualtus insula littoribus propior quam continenti: haud longe quidem ab hostio meduaci Fluminis. Eo portu paraui ni plurimum utebantur propter mercaturam & nauigationes quas maximas exercebant. Frequentius autem habitabatur quam pro loci tenuitate: non ab his solum qui ex piscatione & aucupio uictum querebant: Sed a nauiculariis maxime uadariisque nauiumque fabris. Quod necesse erat: & accidere uidemus ubicunque ciuitates a mari procul recedentes nauigationes exercent: & portus ad mare tenent: Vt locum habeant uel ad ingressum portusque custodiam: uel ad excipiendos nautas: necessariisque diuersoriis recreandos. Erat haec iuxta paulo interuallo insula alia abitu breuiori ad portus hostium paulo proiectior: Oliuolos appellata: In qua placet nonnullis Antenorem portum ingressum exploratum misisse: qui nam mortales ea incolerent loca. Aiuntque illam Troiam deinde uocitatem. Ceterum hac de qua scribimus tempestate templo carebant: nec erat ubi sacra conficerentur: Saepe sermo habitus erat inter incolas ea de re. Conuenire tamen non poterant: aut de loco: aut de sumptus collatione: Donec (sic uolente deo) noctu exortus in Riualto ignis ex domo Architecti nauium cui Entinopo nomen fuit: Illam quam primum in cinerem soluit. Furere deinde uento proximae quaeque corripuntur: Accurrentibus (ut solet) cunctis: quum extingui non posse quantalibet aquae uel ea pestis uideretur: quin potius magis magisque in asseritias harundineasque casas debaccharetur: & iam periculum iuxta esset: ne uicus totus absumeretur: Ferunt architectum ut erat uir bonus & pius quum indoleret tam propinquo uici periculo: Quasi id accidisset ob diuinae rei contemptum cui uerba incolae dedissent de ecclesia condenda: Extulisse ad celum manus precantemque dixisse. Conditor huius celi syderumque Summe Deus: cuius imperio cuncta subiecta sunt: Venti huius rabiem siste: Impera flammam ne ultra sequat. Peccauimus: qui sanctissimi tecti tui hactenus rationem non habuimus. Verumtamen parce prostratis supplicibus: neque aqua iam: neque